



17

18

19

20

21

22

23



1786.

17. Thesius, Jacobus Indersueus: De electione in paucis
alternativis non reo, sed judice, tribuenda.
18. Windius, Joanae David: De obligatione mariti
rerum uxoris mobilium hereditas alienarum
hereditarium dissolvendi.
19. Pohlus, Christ. Indersueus: De indole juris jurandi
in judiciis delati ejusque in Saxonia usus.
20. Puelmannus, Fr. Lud.-Eun: Miscellaneorum et
jus pertinentium specimen III
21. Ran, Christianus: De litterarum investiturae causis
et prima origine. Programma, quo orationem sollem-
nem indixit.
22. Ran, Christianus: De lege Mentia.
23. Richterius, Christ. Gottl: Specimen a nimirum
divinum de veteribus legum laboribus et Fr. Al-
berti Fabricii Bibliothecam Graecam. Programma,
quo orationem auspiciasalem indixit.

1786.

24. Richterius, Christ. Gottl: Oratio de interuentio
iuris prudentiae humanioris causis.
25. Richterius, Christ. Gottl: De re libaria in imperio
Germanico ordinanda.
26. Schwartz, Ioannes, Nicolaus: De officio vasalli
Saxonici in petenda investitura tractatus.
27. Peyerus, Joh. Theophilus: De legibus post perfectam
protestationem territorialis in Germania plenitudinem
in genere populorum salubres accommodandas.
28. Hackmannus, Augustus Conradus: Historia juris leu-
onici. T. I.
29. Filsnerus, Joh. Gottlieb: De peregrinis et civis
notione
30. Windler, Carl. Gottfr. de: Superuinites territoriales
suis operarum venatarum principia subditos

alt. Farkun

31. Windler, Curt. Ludovicus: Bellum tricenale
mutationibus juris publici secundum. M.F.

FORNIS ALTERNATIVUS NON REG.
VIRI TUNICIS TUBERIS

DISSERTATIO

ALYSSA L CTORMI ORDINI CONSIST

FREDERICO RESSIO

ALYSSA L CTORMI ORDINI CONSIST

DE IV IURE A G & MCOLATA

IN AUDITORIO L CTORMI

PRINCE THEATRI

CAROLVS AVGVSTVS SVLLERVS

ALYSSA L CTORMI ORDINI CONSIST

ALYSSA L CTORMI ORDINI CONSIST

ALYSSA L CTORMI ORDINI CONSIST

ALYSSA L CTORMI ORDINI CONSIST

178

- 23. ...
- 24. ...
- 25. ...
- 26. ...
- 27. ...
- 28. ...
- 29. ...
- 30. ...

178



11380.
1786, 19
3

DE
INDOLE IVRISIVRANDI
IN IVDICIO DELATI EIVSQVE IN
SAXONIA VSV

DISSERTATIO,
QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
PRAESIDE
D. CHRIST. FRIDERICO POHLIO
SVPREMAE CVKIAE ET CONSISTORII ELECTORALIS ADVOCATO CIVITATIS
LIPS. SENATORE.

A. D. XXV. SEPTEMBR. A. O. R. MDCCLXXXVI.

H. L. Q. C.
DEFENDET
AVCTOR

REINHOLDVS SIGISMVNDVS IASPIS
MISENA MISNICVS.

LIPSIAE
EX OFFICINA SOMMERIA.

INDOLE VIRI/TANDI
IN IUDICIO DEATI IUSOVE IN
SAXONIA VSV

HELVETIUS IETOMI ODVA VITICITATE
P R A S I D E
D. CHRIST. FRIEDRICO BOHLO

REINHOLDVS BICKVIZDVS IASNS

ELIPIA
ST OFFICINA VON MESSIA



VIRO ILLVSTRI
IVRIVMCONSULTISSIMO, EXCELLENTISSIMO
AMPLISSIMO
D. AVG. FRID. SIGISMVND
GREENIO

SVPREMAE IN PROVINCIA CVRIAE ET ORDINIS ICTORVM ADSESSORI
GRAVISSIMO, CIVITATIS LIPSIENSIS SENATORI ET SYNDICO

PATRONO OMNI QVA PAR EST
OBSERVANTIA COLENDO PIEQVE VENERANDO
SACRVM.



VIRO ILLUSTRI
HONORABILISSIMO, EXCELLENTISSIMO
AMPLISSIMO
D. AVG. FRID. SIGISMUNDO
GRÆNIO

STUDIIUM IN THEOLOGICA CURIA ET QUINQUE RATIONIBUS
GRÆNIO, CIVITATE LIBERÆ SECTIO ET SYNDICUS

PATRONO OMNI OVA PAR EST
OBSERVANTIA COLENDO MEOVE VENERANDO

SACRÆ



VIR ILLUSTRIS, EXCELLENTISSIME

IURIVMCONSULTISSIME

PATRONE PIE COLENDE,

Tametsi ambitiose et audacter facere mihi vide-
bar, qui huic scriptiunculae meae, quolibet
ornatu destitutae, decus conciliare sustinerem, nomine
TVO illustri inscripto: fretus tamen summa Tua hu-
manitate

manitate ac benevolentia, plurimis mihi et praestantissimis
documentis demonstrata, primum hoc qualiscunque doctri-
nae meae specimen oculis TVIS subiicere simulque TIBI
studiorum meorum rationem reddere non dubitavi. Quic-
quid vero forte in hac re contra verecundiae leges pec-
casssem, id facile abs TE Patrone Optime, sperabam
ardentissimo obseruantiae ac pietatis TIBI declarandae
desiderio condonatum iri, quam adeo non diutius pectore
inclusam continere potui, vt eam potius testatam TIBI
facere gestirem. Etenim TV pro insigni tuo erga me
fratresque meos, de Tanti Viri cognatione sibi congra-
tulantes, fauore tot et tam eximia beneficia mihi tribuisti,
vt, si hanc grati animi TIBI palam significandi oppor-
tunitatem veluti e manibus dimissem, aliquanto infro-
stitionem
rem

rem reprehensionem incursum mihi viderer. Equidem
haud parum haesitare debebam in eligendo sensuum meo-
rum interprete, omnibus iis dotibus privato, quibus
TIBI, elegantissimo atque accuratissimo ingeniorum specta-
tori, placere possit. Sed hoc quicquid erat haesitationis,
vicit cogitatio celebratissimae aequitatis TVAE, Aqua,
si quem virium tenuitas magna perficere prohiberet,
conari etiam honestum censes. In praecipua felicitatis
meae parte reponam, et operae in conscribendo hoc li-
bello meo occupatae dulcissimum fructum percepisse me
putabo, quum hoc mihi contigerit, ut, si non ingenio, at
conatu probatum TIBI me esse intelligam. Ceterum
Deum Optimum Maximum supplex veneror, ut porro
consiliis et laboribus TVIS quibus publicam salutem,
cum

cum cordatissimi cuiusque plausu, curas, numine suo ad-
spiret, TEQVE non modo genti TVAE splendidissi-
mae, sed etiam uniuersae huic ciuitati et patriae per
plurimos annos saluum et incolumem praestet, ut et ego
habeam, quod de grauisimo patrociniO TVO collaeter,
cui et in posterum commendatissimus esse cupio,

NOMINI TVO ILLUSTRIS

Lipsiae d. xxii. Septembr.

MDCCCLXXVI.

deditissimus additissimusque
REINHOLDVS SIGISMVNDVS IASPIS.

Instituti ratio

Deliberanti mihi cuiusnam potissimum argumento, non dicam lucem aliquam affundere, id quod tum ingenii mei tenuitas tum exigua iuris peritia plane prohibet, sed in quo tractando ingenii vires ac qualemcumque scribendi facultatem experiri simulque iis, quibus maxime reddenda est, studiorum meorum rationem reddere possem, materia, quae agit de iureiurando, quod pars partim in iudicio defert, in mentem venit. Etsi enim non eram nescius hoc argumentum iam ab aliis iisque doctissimis viris fuisse tractatum, facileque praeuidebam me, qui ei rite exponendo plane impar sim, nec meliora illis esse prolaturum, nec omnia adeo peritorum harum rerum existimatorum puncta laturum; materiae tamen ubertate atque utilitate commotus ea denuo pertractanda meum qualemcumque tirocinium ponere constitui.

Quam animi mei suae ipsius imbecillitatis optime gnari candidam et ingenuam professionem ut lectores excusationis loco haud grauata accipiant, ac, si quid a me peccatum fuerit, id iuuenili aetati beneuole condonent, humanissimis precibus oro rogoque. Fretus itaque lectorum humanitate, statim ad argumentum ipsum progrediar, in eoque elaborando ita versabor, ut paucis in uniuersum de iuramenti notione et diuisionibus praemissis princeps huius libelli caput adgrediar, ac iurisiurandi quod ab aduersario alteri in iudicio defertur, indolem tam secundum ius romanum quam saxonum breuiter excutiam.

De iuramento in genere eiusque primariis diuisionibus.

Naturam et indolem iurisiurandi ingenere si velimus notione aliqua communi comprehendere atque complecti, nihil aliud est, quam asseueratio qua quis Deum tanquam testem veritatis et vindicem mendacii inuocat, ad fidem alteri de asertis suis faciendam. Dum itaque iuramus eoque rei cuiusdam veritatem testatam facere cupimus, et summum Numen inuocamus, et nobismetipsis in eum euentum, si scientes fefellerimus, poenas diuinas imprecamur. Quare et veteres Romani si Iouem lapidem iurabant, utebantur hac formula: *Si sciens fallo, tum me Diespiter, vrbe arceque salua, bonis eiciat, vt ego nunc lapidem.* Cf. *CYRACII Obs. Lib. I. 21.* Vtrumque etiam continetur in formula iurisiurandi, qua hodie vtitur. *Ita me Deus adiuuet:* Illa autem nominis diuini inuocatio, quae ex *l. 5. π. de iureiur.* sententia cuiusque religioni attemperanda est, vel expresse formulae iuramenti inest, vel implicite ea continetur, vnde vulgaris illa diuisio in iuramentum explicitum et implicitum orta est. Quamquam vero, vti postea videbimus, variae iuramentorum species extant, in eo tamen omnes conueniunt, vt a parte iurantis tres illos comites, quorum in *c. 26. X. de iureiur. et c. 2. C. 22. qu. 2.* mentio sit, desiderent, scilicet iudicium, veritatem et iustitiam. Ac primum quidem quod attinet, id, vt in omnibus conuentionibus, ita etiam in iureiurando ideo requiritur, vt iurans et quid sit iuramentum, et super qua re id praestare debeat, rite possit diiudicare. Hinc a iuramenti praestatione plane arcendi sunt, tum infantes et infantiae proximi, tum furiosi et summe ebrii omninoque ii, qui sanae rationis vsu carent. Pubertati proximi vero, quanquam nec ad iurandum possunt cogi, nec, si ante pubertatem iurarunt, ipsis hoc nocet, tamen, si altera pars consentit, vt iurent, et illi in suum commodum iurauerint, propter consensum aduersarii, iuramento standum est *l. 26. pr. et l. 34. §. 2. π. de iureiur.* Iudicium porro de iuris iurandi religione ferendum, cum impediatur etiam liberae voluntatis et consensus defectus, per se patet, iusiurandum vi metuque extortum nullam vim habere posse. Neque tantum iudicium, sed etiam veritas in quouis iureiurando exigi-

exigitur. Debet itaque semper praefari ex mente eius, cui iuratur, omnesque adeo cauillationes, vel uti vulgo vocari solent, reservationes mentales plane absint, necesse est. Veritas autem quae in iuramento adesse debet, excludit etiam dolum, ac quemadmodum omnes conuentiones, si dolus iis causam dederit, irritae habendae sunt, ita etiam iuramentum dolo alterius elicitum nullum atque inualidum iudicari debet. Iustitia denique, quae quodlibet iuramentum comitari debet, ut de re licita, non contra leges et bonos mores praestetur, requirit. Per leges autem intelligimus non tantum leges diuinas, tam naturales, quam positiuas, sed etiam humanas siue ciuiles. Omne igitur negotium, siue iure diuino siue ciuili improbatum sit, quamuis iurisiurandi religio ei accesserit, ea nunquam validum redditur. Cui sententiae rationi sanae maxime consentaneae, etsi egregie assentiunt leges romanae, in primis l. 6. § 16. *π. de pactis l. 112. §. vlt. π. de legat. l. et l. 5. C. de Legg.* e diametro tamen ei contradicit ius canonicum, quippe quod erroneo illo principio, iuramentum nouam obligationem producere, deceptum, omne iusiurandum quod salua salute aeterna seruari possit, seruandum esse statuit. Verum enim vero cum tota haec sententia plane infirmo fundamento nitatur, Icti purioribus sacris addicti fere omnes eam iam dudum repudiarunt, et argumentorum, quibus confirmatur leuitatem, docte atque solide demonstrarunt. Ne itaque actum agere videar ei multis verbis refutandae iam non immorabor, sed lectores potius ad AYRERI *libr. de abusu iuram: p. 149. et Cl. IVL. FRID. MALBLANC Doctrinam de iureiurando. Noribergae 1781. editam Lib. I. §. X.* quos e multis nominasse sufficiat, ablego. Sed de notione et indole iurisiurandi haec satis dicta sunt. Progrediar iam ad praecipuas eius diuisiones, in quibus explicandis, pro instituti mei ratione, breuis ero. Diuiditur autem iuramentum iure romano in assertorium, quod de rebus vel factis praeteritis et in promissorium, quod de factis futuris praestatur. Illud in voluntarium, necessarium, et iudiciale dispescitur. Nimirum si quis iuramentum alteri extra iudicium deserit, vocatur voluntarium, sin autem delatio eius in iudicio fit, necessarium vocatur. Quod vero partibus non petentibus alterutri litigantium super re dubia ab ipso iudice defertur, vocatur iudiciale, cuius in-

terpretes duas species faciunt, scil. suppletorium et purgatorium, quorum illud iudex ei, qui semiplene, hoc vero ei, qui minus quam semiplene probauit, desert. Posterius iuri Canonico originem suam debere extra omnem dubitationem positum est, prius vero an Romanis iam cognitum fuerit, nondum inter viros doctos conuenit; nam vt alios taceam GERH. NOODT in *Comment. ad Dig. T. II. opp. p. 287.* et HEINECCIUS in *diff. de lubricit. iurisiur. suppletorii §. 8.* id saltem ante Iustiniani tempore apud Romanos in vsu fuisse negant, Cl. MALBLANC vero *l. c. Lib. III. Cap. V. §. 70.* id iam Hadriani aevo Romanis non incognitum fuisse, haud contemnendis argumentis nouissime probare studuit Ceterum, vt hoc obiter moneam, necessarium iuramentum quidam id, quod a iudice desertur, iudiciale autem id, quod pars parti in iudicio desert, vocare solent; cuius denominationis diuersitas in eo quaerenda est, quod verba *necessarium et iudiciale* in inscriptione tituli Digest. qui de iureiurando agit, quidem occurrunt, res autem ipsa in titulo non explicatur, vnde etiam controuersia inter Graecos et Latinos interpretes, hosque citramontanos et vltromontanos super hac re orta est, de qua conferri merentur MARANVS in *parat. ad tit. π. de iureiur. et MERILLIVS Obs. III. 13.* Sed perinde est, siue hos, siue illos sequaris. Reliquas denique iuramenti diuisiones quarum in interpretum commentariis passim mentio fit, hic consulto praetermitto, cum plura de iuramento eiusque diuisionibus disputare, et huius libelli limites, et instituti mei breuitas, prohibeant.

§. 2

iurisiurandi in iudicio delati notio

His absolutis ad ipsam iurisiurandi in iudicio delati indolem excutiendam propius accedamus. Ac primum quidem sic commode potest describi, vt dicamus, esse iuramentum, quod quis aduersario suo loco probationis desert in iudicio, eo effectu, ut praeuia iudicis sententia, id aut praestet aut referat, aut, quod non romano quidem sed nostro tamen iure permissum est, conscientiam suam probatione exoneret. Qui vero hoc iuramentum alteri desert, prius de calumnia iurare debet, alias iure romano delatum pro praefito habe-

habetur. l. 34. §. 4. l. 37. ꝛ. de iureiur. Itaque differt ab eo, quod extra iudicium et per modum conventionis defertur hoc enim teste Paulo in l. 17. ꝛ. de iureiur: referri non potest, nec deferens de calumnia iurare tenetur. Ceterum necessitas illa iusiurandum in iudicio delatum, vel praestandi vel referendi originem suam Praetorum edictis debere videtur, quod vel edicti praetorii verba a NOODTIO in Comment. ad Pand. T. II p. 230. Edit. Colon. restituta indicare videntur, quae sic se habent: *Eum a quo iusiurandum petetur solvere aut iurare cogam, si is, qui petet iusiurandum, paratus sit iurare, non calumniae causa id se postulare. Si iusiurandum referre malet, quam iurare, potestatem faciam si is, qui iusiurandum petet, conditione iuris iurandi non utetur, iudicium ei non dabo. Conferri meretur Cl. MALBLANC l. c. Lib. III. c. II. §. 38. sequ.*

§. 3.

Disquiritur an sit species probationis.

Antequam vero ulterius progredi licet, necesse est, ut quaestionem illam attingam, an scilicet iuramentum, de quo mihi sermo est, sit species probationis, nec ne? Sunt quidam, et in his FENDORFIVS in Proc. civ. P. 3. C. 5. §. 2. FRANZKIVS lib. 2. resol. 14. n. 29. et alii, qui delationem iurisurandi non tam speciem probationis quam potius medium releuandi vel liberandi se ab onere probationis, esse contendunt. Prouocant suae sententiae confirmandae causa ad l. 30. pr. ꝛ. de iureiur, vbi Paulus ita dicit: *Eum qui iurauit, ex ea actione, quae inficiando crescit, aliquid sibi deberi, simplio, non dupli persecutionem sibi acquirere, Peditus ait: abunde enim sufficere, exonerare petiorem probandi necessitate. Urgent in primis vltima legis verba, et in iis sententiae suae praesidium reperisse sibi videntur. Sed falluntur viri docti, nam his verbis Ictus tantum rationem reddit, cur iuramento extraiudiciali praesfito, actione, quae alias inficiando crescit, simplum tantum peti queat et actor dupli commodo priuetur; dicit enim damnum illud eo compensari, quod actor, qui ex conventionione iurauit, postea non teneatur intentionem suam probare, quam agendo probare debuisset, nec vllam amplius probationem locum habere, si denuo agere velit, cum tunc*

non amplius quaeratur, an quis debeat, sed an iuratum sit? Exinde vero non sequitur, iuramentum iudiciale inter species probationis non posse referri, sed ab onere probandi tantum liberare, hoc profecto Icti verba non innuunt. Vti autem haec sententia loco illo Pauli non probatur, ita plerique magni nominis Icti, e quibus praecipue nominandi sunt LEYSERVS in *medit. ad Pand. Spec. 135. med. 2.* IVST. HENNING. BOEHMERVS in *diff. de probatione per delationem iurisiurandi, in Exercitatt. ad Pand. Tom. III. et Cl. MALBLANG l. c. Lib. III. c. V. §. 41.* contrariam sententiam recte tuentur ac iuramentum in iudicio delatum speciem probationis esse contendunt, quibus et ego accedere non dubito. Argumenta autem quae huic sententiae opitulantur, tum ipsa rei indoles, tum etiam leges nobis suppeditant. Nimirum primarius omnis iuramenti finis est, vt vel probationem efficiat, vel imperfectam perficiat. Quicquid autem de re dubia iudici fidem facit, id quoque ad probationis species debet referri. Iam qui probare debet, si aduersario iuramentum desert, id eo consilio defert ut veritatem rei ab altero eliciat, vno verbo, vt iudici de rei dubiae veritate legitime fidem faciat, eique facultatem praebet ex iuramenti delati vel praestatione, vel relatione, vel reculatione rem controuerfam decidendi, quod dum efficit aequè probat, ac is, qui aliis modis probandi, veluti testibus et instrumentis vtitur. Accedit porro, quod iurisiurandi delatio in ipsis legibus probationis nomine veniat. Paulus quidem in *l. 25. §. 3. π. de probat.* disertis verbis iuramenti delationem inter probationis species refert. Idem colligi potest, ex *l. 5. §. 2. π. de iurei. l. fin. Cod. de iure delib. et l. 12 pr. C. de reb. cred.* vt alias idem probantes mittam. Conspirant porro cum his romanis legibus passim germanicae leges prouinciales, quarum exempla quaedam BOEHMERVS *l. c. §. VII.* laudat. Nec quod Saxoniam nostram attinet, vti quidam existimant, ex *Ord. Proc. Vet. Tit. XVIII. §. 4.* quae reo, postquam illi probatio imposita fuit, facultatem iurandum deferendi denegat, argumentum pro contraria sententia potest peti, non enim generaliter haec verba esse accipienda, docuit LEYSERVS *medit. ad Pand. Spec. 135. med. 3.* Quae cum ita sint, non dubium est, quin iuramenti delatio et romano et hodierno iure inter species probationis sit referenda.

§. 4.

Qui possunt deferre hoc iusiurandum.

Sequitur vt iam videamus, qui iusiurandum in iudicio deferendi potestate vtantur. Deferre id autem possunt, qui paciscendi et libera de rebus suis disponendi facultate gaudent, vid. l. 35. §. 1. π. de iureiur. Ad hos autem referendi sunt tum domini ipsi, tum ii, quibus libera bonorum administratio a domino demandata est. Ac illos quidem quod attinet, per se patet, nec pupillos nec minores nec furiosos et prodigos iusiurandum valide deferre posse l. 17. §. 1. l. 35. §. 1. π. de iureiur. Minores tamen si detulerint iuramentum, eoque se deceptos fuisse, docere possunt; causa a praetore cognita in integrum restituuntur l. 9. §. 4. π. de iureiur. Quem admodum autem domini ad bona sua administranda habiles iuramentum deferre possunt, ita eadem facultate gaudent ii, quibus bonorum administratio a domino permisa est. Hinc a iurisurandi delatione minime arcendi sunt tutores et curatores, modo detulerint super rebus quas alienare possunt l. 17. §. 2. π. de iureiur. Nec excluduntur curatores tum prodigorum, tum furiosorum itemque procuratores, modo speciali mandato instructi sint; generale enim mandatum, etiamsi clausula cum libera ei adiecta sit, iure communi non sufficit, vid. l. 60. π. de procurat. cum qua iungi potest C. 4. de procurat. in 6to. Eodem etiam iure apud romanos vtentur defensores municipiorum et procuratores fisci; si nempe speciali mandato essent instructi. Docet nos hoc *Ulpianus* in l. 34. π. de iureiur. qui ita ait. *defensor municipum vel cuiusuis corporis iusiurandum deferre potest si super hoc mandatum habeat.* Ceterum illa iusiurandum deferendi potestas competit non solum auctori ratione actionis, sed etiam reo, ratione exceptionis, quamuis neuter antea aliquid probarit l. 35. pr. π. de probat. Nulla enim idonea ratio, vt *LEYSERVS* in *medi. ad pand. spec.* 135. *med. 5.* recte obseruat, eorum sententia potest confirmari, qui iusiurandum non deferri posse statuunt, nisi deferens antea causae probabilitatem iudici demonstrauerit. Neque reo haec facultas iuramentum deferendi per sententiam, qua reprobatio ipsi iniungitur, adimi potest, adeoque non est necesse, vt ei expresse reseruetur, sed potest ea vti quam

quamvis in sententia eius mentio specificè facta non sit. Nam qui alicui probationem vel reprobationem in genere iniungit, nullam eius speciem excludere voluisse videtur, et quamquam *CAREZOVIVS in Jurispr. for. P. I. C. 12. def. 33. n. 1.* contrariam sententiam fouet, priorem tamen expresse confirmavit *Ord. Proc. Recognit. ad Tit. 21. §. 2.* Quæri etiam hic potest, an periuri possint iuramentum deferre? sunt quidam, veluti *HENR. BROCKES* in *diff. de periuro iur. iud. non deferente Viteb. 1737.* qui ideo iis hanc facultatem denegant, quod in eos relatio haud fieri possit. Verum hæc ratio non impedit, quominus etiam periuri iuramentum deferre possint. Pendet enim ab arbitrio eius, cui iusiurandum delatum fuit, utrum, id acceptare, an, si id conditio causæ, super qua iurandum est, permittat, referre, an denique conscientiam probatione defendere velit. si metuit deferentem esse peieraturum, cautius agit, si vel suscipiat iuramentum, vel conscientiam defendat probatione. Sin nihilofecius iuramentum retulerit, et periurii reus denuo peieret, ipsi sibi imputet, quod tam suspectæ fidei hominem ad iurandum, elegerit. Accedit, quod ex sententia *l. 2. π. de iureiur* iuramentum speciei transactionis sit, adeoque omnes ii, quibus transgendi facultas competit, iuramentum deferre possunt; iam, cum periuri transigere nullibi prohibeantur, sequitur, eos etiam iuramentum deferre posse. Ceterum ut hoc obiter moneam, periuris iuramentum deferre, ius canonicum expresse vetat *c. 5. et 14. C. 22. qu. 5.* sed, uti *LEXSERO in Medit. ad π. spec. 136. med. 6.* videtur, sine iustificatione.

§. 5.

De personis quibus deferri potest.

Videamus iam de iis quibus iusiurandum deferri potest. In quo argumento tractando ita versabimur, ut primum, quid ius romanum ea de re statuât, deinde vero quid iure hodierno obtineat, consideremus. Iure romano quidem omnibus iis potest deferri, qui et iurare possunt et conditionem suam meliorem reddere, neque hic sexus vel ætatis ratio quaedam habetur. Clare id indicat *Paulus l. 26. π. de iureiur.* *Qui iurasse dicitur, ait, nihil refert cuius sexus æta-*

aetatis sit. *Omni enim modo custodire debet iusiurandum aduersum qui contentus eo, cum deferret, fuit.* Inde iusiurandum pupillis non modo deferri, sed ab iis, si vellent, etiam praestari poterat, *l. 26. et l. 42. ꝑ. de iureiur.* minoribus id multo magis deferri potuisse per se patet. Poterat porro deferri tutoribus et curatoribus, in quibus tamen distinguebatur inter ea, quae ab ipsis gesta erant, et inter facta aliena. De illis vt iurarent a praetore cogebantur, *l. 5. C. d. reb. cred. et l. 20. C. d. fideicom.* de his vero tum demum iurabant, si sponte iurare vellent. *l. 4. ꝑ. ꝑ. de iureiur. in litem l. 34. §. 3. ꝑ. de iureiur.* Denique iusiurandum etiam deferri poterat procuratoribus et defensoribus, *l. 9. §. 6. ꝑ. de iureiur.* quamuis vt illud praestarent, cogi non possent. *cf. l. 34. ꝑ. de iureiur.*

Iure hodierno non omnes, quibus iure romano iurare permixtum erat, ad iurandum admittuntur. Sic pupillis et minoribus iusiurandum quidem hodie deferri potest, sed eius praestatio usque ad maturiorem aetatem plerumque differtur. Neque tamen ea in re hodie vbique Ius Canonicum sequimur, quippe quod annum aetatis decimum quartum legitimam iurantis aetatem esse statuit, sed pleraeque leges germanicae provinciales annum decimum octauum requirunt, *cf. Ill. WALCHII diff. de iurantis legitima aetate.* Eundem aetatis terminum etiam ius saxonicum exigit, exceptio tamen est, in causis matrimonialibus et stuprum concernentibus, in his enim post annum aetatis decimum sextum completum, minor ad iusiurandum admittitur. Quodsi plures litis consortes sunt, et in his quidam XVIII. annis maiores, quidam vero minores, omnibus autem super vna eademque re iusiurandum delatum est, tunc illi soli ad iurandum admitti solent, hi vero a iuramenti praestatione liberantur, ita tamen, vt maiores intuitu minorum tantum de credulitate iurent. *vid. Ord. Proc. Rec. ad. Tit. XVIII. §. 4.* sin vero, qui iurare debent nec annum aetatis decimum octauum egressi sunt, nec litis consortes maiorenes adsunt, eorum loco tutores et curatores ad iusiurandum de credulitate praestandum, etiam inuito aduersario, admittuntur, ita tamen, vt iudici potestas competat, si iustae adsint causae, iurisiurandi praestationem vsque ad decimum octauum aetatis annum differendi. Eadem ratio est curatorum furiosis mente captis, et absentibus datorum, exceptio

tamen est in curatore litis. Quamquam enim curatoribus bonorum iusiurandum deferri potest, nunquam tamen id curatori litis deferre leges saxonicae permittunt. *Ord. Proc. Rec. ad Tit. XLI §. 4.* Omnes vero tum tutores, tum curatores si aliis iusiurandum deferunt, de calumnia iurare tenentur. cf. *Ord. Proc. Recogn. ad Tit. XVIII.* Procuratores autem quod attinet, distinguendum est inter ius commune et saxonicum. Iure imperii communi et quidem per *Recess. imperii de an. 1654. §. 43.* procuratoribus in alterius animam iurare permissum est, neutiquam vero iure saxonico electorali. *Ord. Proc. vet. Tit. XVIII. §. 10.* potius omne iuramentum siue sit delatum, siue relatum, siue suppletorium, siue purgatorium, siue aliud quoduis, ab eo qui procuratorem constituit, est praestandum. Exceptio tamen est, in iuramento fidelitatis et subiectionis, id enim tum ob iustas, absentiae causas tum si foemina feudum adquisiuit, per procuratorem potest praestari. cf. *Mandat. wegen Suchung der Lehn. de an. 1657. §. und anfaenglich. et neuestes Lehnmand. d. d. 30. Apr. 1764. Tit. III. §. 2.* Si porro vniuersitati cuidam iusiurandum delatum fuerit, ea per tres quatuorue, qui optimam rei notitiam habent, iurat, nullo aetatis discrimine, siue sint seniores, siue iuniores, vid. *Const. el. 13. p. 1.* cuius legis sanctio per *Ord. Proc. Recogn. ad Tit. XVIII. §. 5.* non solum confirmata, sed etiam ad mansarios et reliquas eiusmodi personas, veluti *Hüffner, Anspaenner, et Haesler*, extensa est. Neque hodie electio eorum, qui iurare debent, vti olim, vniuersitati vel collegio ipsi, cui iuramentum delatum fuit, sed ex *Ord. Proc. Recogn. l. c.* ei qui iusiurandum detulit, competit, adeo vt et Syndicum vel Polygraphum, etiam si membra vniuersitatis vel collegii non sint, denominare queat.

§. 6.

De officio eius, cui defertur.

Cui autem defertur iuramentum, eum id vel acceptare vel referre, vel, quod hodierno iure permissum est, conscientiam probatione defendere oportet. De singulis videamus. Acceptatio iure communi vel ante, vel post litis Contestationem fieri potest, semel vere acceptum iusiurandum praestandum est quamuis non prius, quam praestito ab aduersario iuramento calumniae. Clare id indicant

dicant verba *l. 37. n. de iureiur.* quae ita se habent: *si non fuerit remissum iusiurandum ab eo, qui detulerit, sed de calumnia non iuratur, consequens est, ut debeat ei denegari actio. Sibi enim imputet, qui processit ad delationem iurisurandi nec prius de calumnia iurauit, ut sit iste remittenti similis.* Eximebantur tamen ab hac lege parentes et patroni liberis vel libertis iusiurandum deferentes. Vid. *l. 16. n. de iureiur.* et *l. 7. n. §. 3. de obsequio parent: et patrono praest.* Quodsi qui detulit iuramentum de calumnia non iurat, illud iure rom. pro praesito habetur. *l. 37. n. de iurei.* Iure saxonico is, cui iusiurandum delatum est, id ex *Ordin. Proc. Rec. Tit. XVIII. §. 1.* dispositione vel in litis contestatione, vel saltem in vltima positione acceptare tenetur, si hoc omittit, simpliciter iuramenti praestatio ei per sententiam iniungitur. Quodsi vero acceptauerit, non amplius, vti olim, secundum *Ord. Proc. vet. Tit. XVIII.* necesse est, vt intra octiduum ad praestationem eius se offerat et terminum ad iurandum praefigi petat, sed ex *Ord. Proc. Rec. l. c. §. 7.* sanctione, simul ac sententia in rem iudicatam transit, iudex intra octiduum etiam non rogatus, vel vna alteraque parte petente, vel terminum ad iurandum, concessio integro spatio saxonico, praefigere tenetur. Vno alterove, cui vel iuramenti calumniae, vel delati, vel vtriusque praestatio per sententiam iniuncta est, in termino emanente, vel iuramentum praestare detrectante, pro rei diuersitate, iusiurandum vel pro deserto vel pro praesito, accusata tamen antea ab aduersario iuraturi contumacia, declaratur. vid. *Ord. Proc. recogn. l. c.* Quodsi denique is, qui iurare se velle declarauit, ante iurisurandi praestationem e vita excesserit, hoc iure communi pro praesito habetur, iure saxonico nouissimo vero eius heredes, at tantum de credulitate, iurare tenentur. cf. *Ord. Proc. Rec. ad Tit. XVIII. §. 8.* Sequitur iam relatio iuramenti qua reo, cui delatum est iusiurandum, vti permittitur. Ea autem, vti inter omnes constat, tantum in factis alienis et communibus locum habet, neutiquam vero in propriis, aut super facto tertii, quod alter plane ignorat. Iure ciuili quidem, nec referens de calumnia iurare debet *l. 34. n. d. iureiur.* nec certum tempus relationi iurisurandi praefinitum est, adeoque vel statim, vbi facta est delatio, vel ante interlocutoriam iudicis sententiam, vel etiam postea

suscipi potest. Iure saxonico vero quamvis etiam nec referens, sed
 is, qui detulit, iuramentum calumniae praestare teneatur, tempus
 tamen, quo relatio fieri debet, utique definitum est; nam vel in litis
 contestatione, vel saltem in ultima positione instituenda est. cf. *Ord.
 Proc. Rec. Tit. XVIII. §. 1.* Ceterum, si super iis factis iuramentum
 relatam fuerit, super quibus fieri non potest, referenti praestatio
 per sententiam imponitur. *Ord. Proc. Rec. l. c.* Superest defensio
 conscientiae per probationem, de cuius origine nondum inter viros
 doctos convenit. Plerique eam non iuri romano, sed interpretum
 opinionibus, consuetudine tamen confirmatis tribuendam esse contendunt,
 veluti b. IOH. GOTHOF. BAVERVVS *de probatione pro
 exoneranda conscientia Lips. 1753* ill. CLAPROTH *Einleit. in den
 birgerl. Process. §. 327.* aliique. Sed hanc communem sententiam
 nuper deseruit Cl. MALBLANC *l. c. Lib. III. Cap. III. §. 58.*
 qui motus loco quodam *Quintilliani in Inst. orat. Lib. V. c. 6* eam
 iam romanis non incognitam fuisse, sibi persuadet. Nos quidem,
 cum iam instituti nostri breuitas non permittat, quae harum sententiarum
 alteri sit praeferenda disquirere, paucissima modo de indole
 huius probationis adiciamus. Locum habet haec probatio non
 tantum in iuramento delato, sed etiam in iuramentis legalibus. *Ord.
 Proc. vet. Tit. XIX. §. 2.* Cessat tamen in causis iniuriarum et aliis
 leuioribus. *Ord. Proc. Rec. ad Tit. XIX. §. 1. 2.* cessat etiam in
 iuramento ad declinandam editionem documentorum iniuncto, item
 in iuramento suppletorio et purgatorio. vid. *Ord. Proc. vet. Tit.
 XXXVI. §. 1. et XXXVII. §. vn.* Qui autem vsurus est defensione con-
 scientiae per probationem, statim in litis contestatione aut saltem in
 ultima positione declarare debet, se hoc probationis genere uti vel-
 le. *Ord. Proc. Rec. ad Tit. XVIII. §. 1. et 2.* Suscipitur porro haec
 probatio modis probandi ordinariis, adeoque et per testes et per do-
 cumenta instituitur, nunquam autem per iuramenti delationem.
 Ipsi vero articuli, qui ex dispositione *Ord. Proc. Rec. ad Tit. XIX.
 §. 2.* intra terminum saxonicum a tempore rei iudicatae computan-
 dum, tradendi sunt, ad ipsum factum super quo iurandum, non
 ad exceptiones peremptorias, vel replicam dirigendi sunt. Ac quem-
 admodum si per testes probatio instituta fuerit, nunquam interro-
 gatoria, nisi generalia, admittuntur, ita nec aduersarii reprobatio
 admit-

admittitur. Ceterum si vel nihil probatum vel probationi renunciatum fuerit, ad iuramenti delati praestationem regredi non licet *Ord. Proc. Rec. ad Tit XIX. §. 1. 2.*

§. 7.

De causis in quibus iurisiurandi delationi locus sit, vel non.

Pergamus iam ad causas ipsas in quibus iuramenti delatione uti permittum est. Inquirentibus autem nobis in quibus causis iuramentum deferre liceat, statim in mentem venit, notissima illa regula: de omnibus causis posse iurari de quibus transigere liceat. Quam quidem regulam egregie illustrat Ulpianus l. 3. §. 1. π. d. iureiur. cuius verba haec sunt: *quacunque autem actione quis conveniatur, si iuraverit, proficiat ei iusiurandum: siue in personam, siue in rem, siue in factum, siue poenali actione, vel quavis alia agatur, siue de interdicto, cum qua lege conspirant, quae in l. 13. 25. §. 3. et l. 34. π. de iureiur. traduntur.* Locus igitur est iurisiurandi delationi in actionibus praedicialibus et principalibus, realibus et personalibus, bonae fidei et stricti iuris, petitoriis et possessoriis, quin adeo in delictis privatis et causis famosis, dummodo civiliter agatur, vid. l. 11. π. de actione rer. amotar. l. 5. §. 8. π. d. iureiur. l. 9. §. 2. d. iureiur. et l. 6. §. 4. π. d. his qui not. infam. Contra ea ei locus non est in causis criminalibus, de his enim l. ult. C. d. probat: ita praecipit: *Sciant cuncti accusatores eam se rem deferre in publicam notionem debere, quae munto sit idoneis testibus, vel instructa apertissimis documentis, vel iudicis ad probationem indubitatis et luce clarioribus expedita.* Accedit, quod hac ratione is, qui deliquit, metu poenae delicto statuta, facile ut periurium comittat, possit seduci. Cessat porro iuramenti delatio in factis, quae rei decisioni haud inferuiunt et quae vulgo irrelevantia vocare solent; porro si causae indoles ita comparata est, ut iureiurando plane non probari posset, quo pertinet probatio consuetudinis et observantiae Cf. CLAPROTHS *Einl. in den ordentl. bürgerl. Process. Tit 1. sect. II. §. 32r.* Pari ratione nec iurisiurandi delatione uti potest is, qui ad rem, de qua iusiurandum detulit, probandam, usus iam est testibus, vel instrumentis, quod dicitur verbis in *Ord. Proc. vet. Tit. XVIII. §. 3. cautum legitur,*

cf. etiam STRYK *de caut. iuram. Pars. III. sect. II. n. 50. sequ.* Nec locus hodie est iuramenti delationi in possessorio summarissimo, *Ord. Proc. Rec. in append. §. 19.* porro in processu cambiali et executiuo. In saxonia tamen, saluo processu executiuo, interdum super libello vna cum recognitione, etiam responsio peti ac iusurandum deferri potest, nimirum si vel contra heredes actio mouetur, super legitimatione ad causam, vel si ex instrumento, cui conditio inest, agitur, nec eam impletam esse in continenti doceri potest, vel denique si ex contractu bilaterali, in quo exceptioni non adimpleti contractus haud renunciatum est actio instituitur. vid. *Ord. Proc. Rec. append. §. 4. 7.* Vtrum in processu prouocatorio ex L. Diffamari iuramenti delationi locus sit, nec ne, in eo dissentiunt TITIVS in *iure priuato Lib. XII. cap. XIV. §. 18.* et BARTHIVS in *Hodogeta for. Cap. 1. §. 15. not. c.* quorum ille affirmantium, hic vero negantium sententiae accedit. Sed negantium sententiam vsu fori comprobari, testatur BERGER in *Oec. Iur. Lib. IV. Tit. XXXII. th. I. n. 6. p. 933. edit. nov.* Denique iurisiurandi delatio ex iuris canonici principis cessat etiam in causis sponsaliorum et matrimonii dissolutionem concernentibus. Nimirum cum canones contractum matrimonii inter res spirituales referrent, iuris canonici interpretes non ipsa matrimonia tantum per benedictionem sacerdotalem consummata, verum etiam sponsalia de praesenti, quae iure canonico verum et ratum matrimonium constituunt, nulli plane transactioni subiacere statuerunt. Protestantes vero qui illa iuris canonici de matrimonio inter res spirituales referendo placita haud receperunt, tantum eam iuramenti delationem quae contra matrimonium vere contractum fit, improbarunt, eam vero, quae pro illo instituitur concesserunt. In causis autem sponsalia concernentibus, iurisiurandi in iudicio delati vsum tam contra sponsalia quam pro illis comprobarunt. vid. BOEHMERVS in *Iure eccl'es. Prot. L. II. Tit. XXIV. §. 66.* DE RVENDORF in *Obs's. iuris vn. T. I. Obs. 73.* CL. MALBLANC l. c. L. III. c. 3. §. 46. Ceterum in Saxonia eadem principia sequimur, nisi quod in *Decis. XXXII. de an. 1746.* discrimen factum est inter sponsalia publica et clandestina. In his enim illa lex sponsalia neganti, licet iis concubitus accesserit, iusurandum deferri vetat, in illis vero, si res alio modo plane probare non possit, iuramenti delationem admittit.

§. 8.

De tempore quo iuramentum est deferendum.

In definiendo autem tempore quo iusiurandum deferri potest, si iuris romani ea dere species placita, diuersa tempora distinguenda sunt. Iure anteuulianico vti prolixè ostendit *Cl. MALBLANC l. c. Lib. III. Cap. III. §. 39. et 53.* iurisiurandi delatio in iure coram praetore i. e. ante litis contestationem fieri debebat. Postea vero, cum sub Imperatoribus iudiciorum forma sensim sensimque esset immutata, iurisiurandi delatio, teste Iustiniano, in *l. 12. C. de reb. Cred. et Nou. LXXIII. C. 4.* in quacunque iudicii parte fieri potuit. Quo iure et hodie in Germani vtimur, nisi leges prouinciales aliter statuunt. Hinc iure communi etiam post effluxum terminum probatorium iusiurandum adhuc deferre licitum est. cf. *PVFENDORF in Observ. iur. uniu. Obs. 154. et STRYVEN in rechtlichen Bedenken P. I. n. 164.* Iure Saxonico vero, ad quod iam maxime respicimus, non quouis tempore iurisiurandi delatio conceditur, distinguendum tamen est inter actorem et reum, et inter sanctionem Ordinationis processus veteris et recognitae. Actor quidem olim secundum *Const. cl. XI. P. 1. et Ord. proc. vet. Tit. XVIII. §. 1.* iusiurandum ante praestationem guarandae et litis contestationem deferre tenebatur, nec ei postea iuramenti delatione vti permittebatur, etiamsi antea ea de re protestatus esset. Requirebatur autem litis contestatio pura, non euentualis; si enim reus tantum euentualiter, vel conditionaliter litem contestatus erat, nec actor iam guarandam praefliterat, iurisiurandi delatio ei adhuc salua erat. Itaque si reo per sententiam iniunctum esset, vt litem aliter contestaretur, actori iuramenti delatione vti, simul permittebatur. Super replica vero actori etiam post litis contestationem iusiurandum deferre licebat, dummodo ea libello non inserta esset, tunc enim iusiurandum perinde ac super libello ipso, ante praestitam guarandam deferendum erat. At haec quodammodo mutauit *Ord. Proc. rec ad Tit. XVIII. §. 1.* secundum quam iuramenti delatio statim in ipso libello fieri debet. Hoc si neglexerit actor, non plane quidem facultatem iuramentum deferendi amittit, sed ea adhuc vti potest, dummodo reum denuo

cita-

citari petat, eique impensas refundat. Super replica iure nouo aequae ac iure veteri, actor etiam post litem contestationem atque adeo, licet probatio iam iniuncta sit, iusiurandum deferre potest, nisi replica libello inserta legatur, tunc enim iusiurandi delationi post litem contestationem non amplius locus est. Si enim actor rei exceptionem iam praesumat, statim in ipso libello iusiurandum deferat, necesse est. Quod si vero actor post litem contestationem super replica iusiurandum deferre velit, eius delationem ipsis articulis probatorialibus adiciere tenetur, ac nisi mulctam V. imperialium incurere velit, iudicem, ut reum ad responsionem sub poena confessi et convicti citet, implorare debet. Quod quidem si petere omisit, iudex reum ex officio ad respondendum citare tenetur. Ceterum sufficit, si actor statim cum libellum offerret, iusiurandi delatione usus est, nec necessario requiritur, ut, si in termino libellum verbotenus repetit, etiam disertis verbis delationis iuramenti mentionem faciat. Si enim integram actionem repetit, simul singula eius capita adeoque etiam iuramenti delationem, ei adiectam, repetisse censendus est, quam sententiam etiam confirmat *Ord. Proc. Rec. ad Tit. XVIII. §. 1.* Reum porro quod attinet, is iure saxonico veteri, non quidem super exceptionibus litem ingressum impediens, quarum ratio non habebatur, nisi in continenti essent liquidae, sed super quibusdam dilatoriis, quales v. c. erant exceptio spoli et litem pendenciae, ante litem contestationem; super peremptoriis autem post litem contestationem iuramentum deferre poterat. Hodie vero ex sanctione *Ord. Proc. Rec. ad Tit. XI. §. 1.* reus neque super exceptionibus litem ingressum impediens, neque super dilatoriis, quae litem contestationi praemittendae sunt, actori iusiurandum deferre potest, harum enim rationem habere, dicta lex iudici non aliter permittit, quam si in continenti liquidae sint. Super exceptionibus peremptoriis vero, litem contestationi adiciendis, reus iusiurandum utique deferre potest, ita tamen, ut, si affirmatiue litem contestatus sit, iusiurandi delationem vel statim ipsis exceptionibus, vel probatione per sententiam iniuncta, articulis probatorialibus, sin negatiue, articulis reproborialibus subiiciat. Ceterum ei iuramenti delatio salua est, siue in sententia ei reseruata, siue in eo silentio praeterita sit. cf. *Ord. Proc. Rec. ad Tit. XXI. §. 2.*

§. 9.

De formula iurisiurandi delati.

Formulam iurisiurandi in iudicio delati apud romanos praescribebat is, qui iusiurandum detulerat eamque sequi debebat aduersarius, modo esset non improbatae religionis. Poterat igitur in causis priuatorum iurari per quoscunque Deos, Deasue, per aquas stygias, per Deos penates Laresque, per genios, per caput salutemue, vno verbo per quaeuis sacra, modo publica lege non essent reprobata. Probant hoc praeter alia loca l. 3. §. 4. l. 4. et 5. z. d. iureiur. quarum verba ita se habent. *Iurare enim oportet, ut delatum est iusiurandum. Ceterum si ego detuli, ut per Deum iurares, tu per caput tuum iurasti, vel filiorum tuorum, non erit ratum habendum iusiurandum: quod si ego exegi ut per salutem tuam iurares et iurasti, stabitur. Omne enim omnino licitum iusiurandum, per quod voluit quis sibi iurari, idoneum est, et si ex eo fuerit iuratum. Praetor id turbatur. Diuus Pius iureiurando, quod propria superstitione iuratum est, standum rescripsit.* Hodie inter Christianos nulla alia formula iurisiurandi quam qua verus ac vnicus Deus inuocatur, admittitur. In Germania inter trium ibi receptarum religionum asseclas per *Recess. Imp. de an 1555. §. 106.* formula: *So wahr mir Gott helfe und sein heiliges Evangelium,* recepta est, quam et hodie adhuc sequimur. Si iuramentum ab iis, qui christianae religioni non sunt addicti, praestandum est, formula principis eius religionis, quam iuraturi profitentur, est accommodanda. Hinc quod Iudaeos attinet, formulam iurisiurandi una cum solemnibus in Iudaeorum iuramentis obseruandis *Ord. Cameral. P. 1. Tit. 86. §. 8.* praescripsit. Aliam eiusmodi formulam in supremo tribunali Cellensi vstatam *BOEHMERVS in Iure Eccl. Prot: Lib. II. Tit. 20. §. 24.* exhibet. Quanquam vero si inuocationem nominis diuini exceperis, formula iurisiurandi delati etiam nostris moribus secundum mentem eius qui iusiurandum aduersario detulit, est concipienda, integrum tamen hodie iudici est, eam reiectis inutilibus et supplendis necessariis corrigere atque emendare. In saxonia intuitu formulae, qua in iureiurando delato utebantur maiores nostri olim, distinguebant inter facta propria et aliena. Si super factis propriis iusiur-

C

ran.

randum deferebant, rem alterius conscientiae, in *sein christliches Gewissen*; sin vero super alienis non soli conscientiae sed etiam eius scientiae vel notitiae, *seinem Gewissen, Wissenschaft und Wohlbe- wußt* committebant, quid? quod, teste BERGERO in *Electis Discept. for. p. 542.* tam rigidi erant, vt si facta aliena soli conscientiae es- sent commissa, iuramenti ratio plane non haberetur, sed pro diuer- sitate processus instituti vel probatio vel demonstratio per senten- tiam iniungeretur. Hanc vero subtilitatem sustulit *Ord. Proc. Rec. ad Tit. XVIII. §. 3.* qua cautum est, vt iudex in posterum non tam formularum illarum, siue scientiae, siue conscientiae alterius rem commiserit deferens, sed potius ipsorum factorum rationem habeat, vtrum scilicet propria et communia, an aliena sint, atque his sententiam ex officio accommodet.

§. 10.

De reuocatione iurisiurandi delati.

Cum iuramentum, vti supra diximus, ex iuris romani princi- piis inter species transactionis referri debeat, omnium autem pa- ctorum et transactionum ea sit indoles, vt alterius contrahentis consensu perficiantur, per se patet, illud tam diu modo reuocari po- tuisse, quam diu aduersarius id nec acceptauisset. Simulac autem acceptatum erat, eius reuocandi facultas plane cessabat, cf. *l. 26. et 39. C. de transact.* Ita se res habebat iure romano anteiustiniano, verum Iustinianus potestatem illam iuramentum delatum reuocandi *l. 11. C. de reb. cred.* paullo latius extendit eamque et post ac- ceptionem, vsque ad litis finem et sententiam definitiuam, modo haec prouocatione non esset suspensa, permittit. Sed de mente huius legis in foro hodierno inter interpretes hodie nondum conue- nit, et digna sunt, quae legantur, quae ab interpretibus super eius in- terpretatione passim disputantur. Nam cum instituti nostri ratio iam non permittat omnes de sententia huius legis interpretum opiniones recensere ac, quae reliquis praeferenda sit, disquirere, acquiescamus modo in iis quae breuiter de argumento dictae legis protulimus, pluraque de vero eius sensu scire cupientes ad LEYSERVM in *Med. ad π. sp. 137.* et CL. MALBLANC *l. t. Lib. III. cap. III. §. 54.* amandemus. Videamus potius, quid ius saxonicum hac de re

re

re statuat. Ac iure saxonico vetere quidem actori, qui iusiurandum alteri detulit, eius reuocandi facultas etiam post praestitam guarandam et litem contestatam conceditur, modo iuramentum nondum acceptatum vel relatum fuerit, nec sententia, qua praestatio iuramenti iuncta est, vires rei iudicatae nacta sit, cf. *Ord. Proc. vet. Tit. XVIII. §. 2.* Iure saxonico vero recentiori reuocatio iuramenti delati quamuis eius acceptatio iam secuta sit, permessa est, donec sententia interlocutoria in rem iudicatam transferit, ita tamen. vt is, qui reuocare velit, sumtus litis ei, cui delatum est, restituere teneatur. vid. *Ord. Proc. Rec. ad Tit. V. §. 9.*

§. II.

De ipsa iuramenti delati praestatione eiusque effectibus.

Vnusquisque vero, qui iuramentum sibi delatum suscepit, id etiam praestare tenetur, nisi lex eum a praestatione liberet. Non prius tamen ad id praestandum cogi potest, quam si iudex super delatione interloquutus sit, et deferens de calumnia iurauerit *l. 12. §. 1. C. d. iureiur. et l. 34. §. 4. π. eod. Tit.* Quodsi deferens iuramentum calumniae praestare recusauerit nec aduersarius id ei remiserit, iusiurandum principale tum romano, tum hodierno iure pro praestito habetur. Praestito vero iuramento calumniae, is, qui iuramentum sibi delatum acceptauit, necessario id praestare debet, alias iure saxonico id deseruisse iudicatur. *Ord. Proc. Rec. ad Tit. XVIII. §. 7.* Locum porro quod attinet, quo illud iusiurandum praestari debet, semper praestandum est in iudicio, quo causa agitur. *l. 12. pr. et §. 4. C. d. reb. cred.* Nemini enim extra locum iudicii iure romano iurare permittitur, nisi personis egregiis et valetudine impeditis. *l. 15. π. d. iurei. adde Nov. 124. c. 1.* Iure saxonico valetudinariis quidem interdum extra locum iudicii, domi scilicet iurare conceditur, neutiquam vero personis in dignitate quadam constitutis, potius hi omnes iuramentum in iudicio praestare tenentur. Excipiuntur tamen personae illustres, quibus in *Ord. Proc. vet. Tit. XVIII. §. 10.* Comites et liberi Barones annumerantur, hi enim in curiis prouincialibus saxon. iusiurandum non in loco consueto, sed separato, qui *Audiens - stube* appellatur, praestare solent.

Restat, ut de effectibus iurisiurandi delati atque praestiti pauca adiciamus. Oritur autem ex hoc iureiurando vel praestito vel remisso, si ius romanum spectemus, et conditio et exceptio. Conditio siue actio ei quidem competit, qui, alterum sibi debere, iuravit, exceptio autem ei, qui, se nihil debere iureiurando confirmavit. Probat haec *l. 9. §. 1. π. d. iureiur.* Vbi Ulpianus ita ait: *Iureiurando dato vel remisso reus quidem acquirit exceptionem sibi aliisque actor vero acquirit actionem, in qua hoc solum quaeritur, an iuraverit dari sibi oportere, vel cum iurare paratus esset, iusiurandum ei remissum sit.* Gaudet porro iusiurandum praestitum omnibus iis effectibus, quos transactio producit, quin adeo maiorem vim re iudicata habet, *l. 2. π. d. iureiur.* Sententia autem ipsa ferenda est secundum eum, qui iuravit *l. 34. §. ult. π. d. iureiur.* contra quam, ex Iustiniani constitutione, quae *l. 12. Cod. d. reb.* legitur, iusiurandum deferenti provocare, haud licet, siue alteri iuramenti praestationem iniunxerit, siue post eius praestationem alterum condemnauerit. Ei autem, qui iuramentum ipsi delatum recusavit appellatione quidem contra sententiam uti permissum est, sed nullo effectu suspensivo gaudet, adeo ut iudex primae instantiae, nulla eius ratione habita, statim sententiam condemnatoriam possit ferre, salva tamen corrigendi facultate superiori iudici competente, *d. l. §. 2.* Denique eiusmodi sententia ne periurii quidem obtentu potest retractari, cuius rei ratio aequae ex transactionis indole, quam iusiurandum delatum in omnibus sequitur, est repetenda *l. 31. π. l. 1. C. d. iureiur. et l. 21. et 22. π. de dolo malo.* quaeri etiam, hic potest, quis delato et praestito iureiurando expensas litis ferre teneatur? Ac iure communi quidem cum is, qui alteri iusiurandum detulit praestito iuramento calumniae aequae ac illo qui iuramentum delatum praestitit se vtrumque probabilem litigandi causam habuisse docuerint, equidem non dubito, eorum sententiae accedere, qui iureiurando praestito expensas litis compensandas esse statuunt. In qua sententia etiam versantur et FERD. CHR. HARPRECHT in *diff. de expensis victoriae, praestito iureiurando adiudicandis vel compensandis. in eius diff. vol. II. p. 62. et III. CLAPROTH Eink. z. bürgerl. Process. §. 342.* Apud nos in Saxonia ex sanctione *Ord. Proc. Rec. ad Tit. XXXVI. §. 5.* expensae litis tum modo compensantur, si iusiurandum super tota actione delatum fuerit

fuerit. Quodsi vero non super totius libelli argumento neque super exceptione principali, sed super vno alteroue momento vel articulo iusiurandum delatum est, compensatio expensarum locum haud inuenit. Quae ratio etiam obtinet si is, cui iuramentum delatum, id praestare nequeat, aut si referat ac deferens postea tum principale, tum iuramentum calumniae praestet.

§. 12.

De auctoritate iudicis circa iusiurandum delatum.

Supereft, vt in quo iudicis officium facta iuramenti delatione maxime cernatur, breuiter ostendamus. Is autem non solum diligenter circumspicere debet, num et personarum et caussarum conditio ita sit comparata, vt iuramenti vel delatio vel relatio locum habere possit. Verum etiam indagare debet, tum, an iusto tempore iurisiurandi delatio facta sit, tum etiam, an vere causae decisioni inferuiat. Potest itaque, vt iam supra monui, ipsam iurisiurandi formulam a partibus conceptam corrigere, inepta et ad causae decisionem nihil facientia refecare, omiffa supplere eamque omnino et causae conditioni et eius, qui detulit sententiae, aptam nexamque reddere. cf. Ill. G. L. BOEHMERI *diff. d. auctor. iud. circa iusiurand. delat. in Elect. T. II, n. 14.*

Conclusio.

Sed hic iam subsistam, cum angusti huius libelli limites viriumque mearum imbecillitas mihi haud permittant plura atque meliora, quae forte adhuc dicenda restent, in medium proferre ac pro argumenti grauitate paulo vberius tractare. Nihil igitur supereft, quam vt lectores rogatos cupiam, velint, si forte quaedam minus accurate



curate a me disputata deprehenderint, beneuole mihi veniam dare, beneque cogitare, me hanc scriptiunculam non vt alios docerem, sed exercendi ingenii causa proposuisse. Patriae et Patronis aliquid meae qualiscunque operae et industriae in colenda Iurisprudentia huiusque collocatae specimen erat exhibendum, quibus si vel ex minima parte me satisfacisse intellexero, merito mihi gratulabor, meliora cum Deo promittens.

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

Leipzig, Diss.; 7786 K-Z

ULB Halle 3
004 810 341



f
56.





1786, 19
3

DE
INDOLE IVRISIVRANDI
IN IVDICIO DELATI EIVSQVE IN
SAXONIA VSV

DISSERTATIO,
QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
PRAESIDE
D. CHRIST. FRIDERICO POHLIO

SVPREMAE CVRIAE ET CONSISTORII ELECTORALIS ADVOCATO CIVITATIS
LIPS. SENATORE.

A. D. XXV. SEPTEMBR. A. O. R. MDCCLXXXVI.

H. L. Q. C.

DEFENDET

AVCTOR

REINHOLDVS SIGISMVNDVS IASPIS

MISENA MISNICVS.

LIPSIAE
EX OFFICINA SOMMERIA.